

**Anaemia theoretice et practice perlustrata ... / praeside Christiano
Ludovico Moegling ... auctor respondens Christophorus Godofredus
Pichler ... junii. MDCCLVI.**

Contributors

Moegling, Christian Ludwig, 1715-1762.
Pichler, Christoph Gottfried.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Bauhof-et Franckianis, [1756]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kju88r69>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

23
A N Æ M I A
THEORETICE ET PRACTICE
PERLUSTRATA.

QUAM
PERMITTENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA,
P R A E S I D E
CHRISTIANO LUDOVICO
MOEGLING,
MEDICINÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE PROFESSORE
PUBL. ORD.

PRO SPECIMINE ACADEMICO
PUB. COMMILITONUM EXAMINI
SUBMITTET
AUCTOR RESPONDENS
CHRISTOPHORUS GODOFREDUS PICHLER,
Brackenheimensis.

AD DIEM JUNII. MDCCLVI.



TUBINGÆ,
TYPIS BAUHOF - ET FRANCKIANIS.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30784918>



Σ.

Θ.

§. I.

O Prime monet Cl. Fr. Hoffmannus in Comment. de differentiis inter doctrinam Medico-Organicam & Medico-Mechanicam: "Nihil vero magis huic sententiæ, Plethoram esse universalem fere morborum causam, ad-
" versatur, quam quod subinde videmus, ex nimia &
" enormi sanguinis & humorum profusione, e. gr. per Menses in
" fœminis & hæmorrhoides in viris longe majora mala imminere,
" quam ex Mensium vel hæmorrhoidum retentione, nam propter
" summam virium imbecillitatem quæ exinde in omnibus actioni-
" bus visitur, presso pede sequentem quandoque celerrime enor-
" miter & cum impetu fit Syncope, imo convulsio sæpiissime se-
" quitur. Si vero sanguinis profusiones nimix diutius affligunt,
" potius tumores Oedematosi, Cachexia, Hydrops, tabes, hæctica
" sequuntur." Tam graves enim oriuntur ex defectu sanguinis
" morbi, quam graves a plethora unquam exitere, quin vel obiter
" hunc statum pensitantibus statim concludere licebit, morbos inde
" pullulantes sæpius graviores & curatu difficiliorese, plusque
" temporis requiri illis ex plethora ortis. Cum itaque morbi ex
" Anæmia s. defectu sanguinis orti non quidem adeo rari sint, causas
" eorum vero ex Plethora deducere plurimi Medicorum studeant,
" placuit, Anæmiam pro specimine Academico seligere, ejusque cau-
" sas, Signa & Diagnostica & Prognostica pro ingenii modulo stu-
" diose perscrutari. Et quo intimius accuratiusque exponatur, lubet
" usitatum hæctenus in scholis Medicis servare ordinem, dissertatio-
" nisque ab Ætymologia Nominis initium facere. Anæmia igitur
" recte derivatur ab α. privativo & vocabulo αἷμα, sanguis, quasi
" diceretur sine sanguine; utut homines plane sine sanguine vivere

nequeant ; Sed penes Medicos vocabulum adeo receptum est, ut significet statum sanguinis, non quidem plenarie, præternaturaliter tamen deficientem in quantitate, sic, ut commode Anæmia definiri possit, quod sit penuria seu defectus sanguinis per univ-
ersum Corpus debitæ nutritioni, sanitati ac robori conservando in-
sufficiens.

§. 2.

Quivis facile agnoscet, anæmiam differre quoad Genus & species ; liceat ergo Generalem æque ac specialem hujus affectus mor-
bosi differentiam paulo prolixius investigare. Sub generali diffe-
rentia ea intelligitur qua Anæmia à congeneribus affectibus distin-
guitur, specialem vero appello eam, qua Anæmia ipsa, non solum
duratione & diverso gradu, sed & ratione speciei, maximeque no-
tabilium symptomatum & Phænomenorum, quodammodo à se ipsa
differt.

§. 3.

Quoad Generalem differentiam distinguitur ergo Primo à
Temperamento phlegmatico, quod in hoc habitus Corporis magis
sit laxus atque mollis, & sanguis in abstracto consideratus multa
substantia aquea Serosa dilutus & attenuatus, in illa vero, i. e. Anæ-
mia habitus corporis magis constrictus à defectu sanguinis in con-
creto considerati ; differt secundo à Cachexia, quod in hac magis
vitium sit in qualitate sanguinis, in Anæmia vero in quantitate defi-
ciente, utut non negandum, Anæmiam sæpius cachexiæ præambu-
lum esse, præcipue si hæmorrhagiæ enormes præpostera methodo
per adstringentia præmature suppressæ, aut læsis debilitatisque vi-
sceribus concoctioni, Distributioni & Depurationi sanguinis dica-
tis, varia cruda concoctu difficiliora deglutita sint.

§. 4.

In explicatione differentiarum specialium primo occurrit Idio-
pathica, sive illa, quæ immediate ex quacunque hæmorrhagia
enormi vasa sanguifera justo plus deplet, cui opponitur 2do sym-
ptomatica, quæ tanquam accidens alii cuidam prægresso morbo
præcipue acuto supervenit. Tertio Venerea, quæ ex abusu Veneris
totum systema nervosum debilitat, atque successu temporis ipsum
fluidi nervei fontem, sanguinem puta, solvit atque depauperat.
Quarto

Quarto obstructa, quæ ab obstructione Glandularum Meseraicarum, qua Chylus debita quantitate ad massam sanguineam deferri nequit, dependet, cui adsociare licebit Quinto verminosam, qua Chylus, etiamsi optime præparatus, à vermibus in Intestinis latentibus intercipitur; denique sexto famelicam in iis, qui ex inopia alimenterum diu famem ferre coguntur; Denique quævis harum specialium discescit in recentem & inveteratam: per priorem illam intelligo, quæ paucorum dierum vel septimanarum spatio durat, & uti levioribus stipatur symptomatibus, sic & facilius debellari potest, cum posterior longiori plurium Mensium decursu obfirmata gravioribus molestiis non solum ægrum sed & Medicos divexet.

§. 5.

Utut Anæmia in genere in quæcunque cadere possit subjecta, nempe tam in juniores & seniores, in foeminas & viros, in vitæ sedentariæ & otiosæ lautæque diætæ deditos æque ac laboriosos & viliori diætâ contentos, in homines temperamenti activioris sanguineo-cholerici aut vicissim, quam in Subjecta temperamenti seignioris Phlegmatici aut Melancholici; attamen non negandum, hoc vel illud subjectum magis ad hunc morbum propendere. Lubet ergo secundum receptum ordinem pertractare, atque à disponentibus initium facere; Hæ triplicis classis sunt, 1. sic dictæ naturales, 2. non naturales, 3. præternaturales.

§. 6.

Ex Classe naturalium occurrit 1. ætas, cujus intuitu juniores in genere præ senioribus, in specie autem adolescentes ab Anæmia frequentius corripuntur, cum uterque sexus ab 18. ad 48. 49. 50. annos variis hæmorrhagarum speciebus interdum afficiatur. Quod autem foeminæ præ viris, qui tamen non plane excluduntur (id quod causarum naturalium II. est) ad Anæmiam plus dispositæ observentur, mere evacuationibus anomalis, facileque, levi nempe data causa, excedentibus innititur; Cum igitur in virili sexu hæmorrhagiæ naturales non adeo frequentes, in sequiori vero quasi ordinariæ & naturales sint, mirum inde non est, quod in foeminis frequentius, quam in viris excedant. Quoad tertiam, in temperamenti respectu dispositionis ad Anæmiam hæc subest ratio, quod in activioris temperamenti subjectis, qualia sunt Sanguineo-Chole-

rici & Choleric-Sanguinei ob sanguinis abundantiam & sulphurearum partium in sanguine copiam pro civitas insignis deprehendatur ad orgasticas humorum exæstuationes, & has insequentes effusiones sanguinis hæmorrhagicas excedentes, quas presso pede Anæmia insequitur. Quomodo vero causarum naturalium quarta, nativa scilicet certarum Corporis partium dispositio, ad producendam Anæmiam contribuere quid valeat, mecum diu cum animo voluto, mihi ne unica quidem evidens apparuit ratio. Id quod & de Causarum naturalium quinta, hæreditaria nempe dispositione, valet & intelligi potest. De causarum naturalium sexta, vitæ nempe regimine, quoque nulla in mentem venit, quæ ad Anæmiam disponere ulla ratione posset,

§. 7.

A causis naturalibus progredior ad Causas, vel rectius sic dictas, res non naturales. Primam ergo, aërem nempe, quod concernit, is nimio Calore sanguinem intestine & orgastice commovet ob inhærentes particulas sulphureas & agiles, atque junctis particulis humidis tanto promptius motum intestinum dissolutorium producere, & ad Anæmiam viam sternere valent; cui consentire videtur Cl. Boerhaave in instit. Med. speciatim *αἱσιολογία παθολογικῆς* pag. mihi 379. §. 746. non minus in Nenteri Pathologiæ Medicæ parte Generali Sect. II. cap. XI. membr. III. de causis morborum non naturalibus, ubi pag. 224. duo Exempla resolutionis massæ sanguineæ per calorem excessivum in Nautis allegat, quorum alter per potiunculas acidas ex succis cum —u Otri dulci & aqua Cinnam. Cydoniata paratas restitutus, alter vero mortuus est.

§. 8.

Cibum & potum quod concernit, respectu hujus diætæ potissimum tempore hæmorrhagiarum præsentium vinosa, qua facile in excedentes stimulantur, nimisque spirituosæ & aromatica præcipue in temperamentis activioribus de inducenda Anæmia se suspectam reddit. Deinde certum est, in infantibus maxime nocere pulmenta illa lactea, studiose spissiora cocta, quibus nimis de athletico tenellorum habitu sollicitæ Matres, obstetrices, Nutrices adeo sæpe tenerum ventriculum replent, ut calore sic dicto nativo ventriculi, accedente tenera adhuc structura, hocce spissius justo

plus pulmentum vix ac ne vix quidem in eam ; quam deberet, perfectionem concoqui atque resolvi queat ; accidentibus igitur aliis causis disponentibus sæpissime vera proxima & mediata causa obstructionum Glandularum Meseraicarum exoritur, à qua deinde illa frequens in praxi Clinica occurrens Infantum Atrophia testante Hoffm. in Fundament. Pathol. spec. Sect. IX. Cap. IV. §. 1. 5. & 6. dependet. Denique & alimenta deficientia huc referri debent, si nempe tali misero ob inopiam alimentorum actiones vitæ persistentes solidas Corporis partes deterunt, destruunt, consumunt, subtilissimas humorum dissipant, repetito continenter attritu solvunt.

§. 9.

De motu corporis quivis facile perspiciet, quod, uti motus naturales moderati sanguinem attenuant & resolvunt in serum, sic motus excedentes sine notabili ipsius quoque sanguinis imminutione peragi non possint. Id quod non minus de vigiliis valet, quibus non modo humores nimium rarefiunt, sed & Liquidum nervæum — uosum plus justo consumitur teste Boërhav. in Institut. Med. p. mihi 386. §. 768. sicque posteriore in reliquis præcipue nervosas corporis partes haud rite influente, robur partium destruitur, coctiones, nutritionesque impediuntur, sed & peracta per continuum attritum rarefactione successive, quoad quantitatem æque ac qualitatem imminuitur, annotante Hippocrate Aphorismor. L. II. aphorism. III. Somnus & vigiliæ, utraque, si immoderata sint, malum.

§. 10.

Majorem adhuc contemplationem ad producendam Anæmiam merentur Excreta & Retenta, hoc est, humores, qui ceu inutiles vel quotidie sub variis excretionum speciebus proscribi, vel tanquam utiles & ad nutritionem ac conservationem Corporis necessarii in eo retineri deberent. Sub priore Classe videlicet excernendorum ratio habenda est imprimis quidem vel naturalium vel artificialium sanguinis evacuationum, quæ perversa methodo promotæ aut alia ex causa sponte excedentes sæpe numero Anæmiæ januam aperuerunt ; Quorsum etiam referri debent Diabetes, salivatio nimis longa & copiosa, morbi acuti, Synovia, variæ Diarrhœarum species, quæ singula ad producendam Anæmiam non

con-

contemnendam habent efficaciam. Eodem modo exactior docuit observatio, quod ipsæ etiam sanguinis evacuationes artificiales per V. S. si vel justo plus copiosius admixtæ, aut præter exigentiam nimis iteratæ fuerint, similem post se reliquerint effectum, de qua legi meretur Dissert. Eliæ Rudolph. Camer. de abusu V. S. onum hîc Ao. 1715. habita.

§. II.

Denique inter animi pathemata ad anæmiam disponit desiderium vehemens per tempus quoddam continuans, a quo pulsus cordis sæpe ad palpitationem cordis usque vehementissimam intenditur, excretiones periphericæ sequuntur, ab hisce vero demum appetitus & somnus prosteruntur, corpus contabescit, & vires in totum dejiciuntur; cujus rei luculentissimum testimonium nobis præbet affectus ille, qui Helvetiis proprius adscribitur, & Nostalgia, das Heimweh, vocatur.

§. I2.

Superest, ut de Causis etiam præternaturalibus, seu rectius, violentis, brevem faciam mentionem, quarum præcipuæ sunt vulnera quæcunque sive sclopetaria sive cæsim aut punctim inflicta, non minus ictus vel lapsus violenti, aut graviores contusiones æque repetitæ in Corporis truncum, quæ singula per hæmorrhagiam internam Anæmiam sæpius excitaverunt; tandemque varii morbi prægressi, ut fluxus hepaticus, diarrhœa, dysenteria, sudores nimii; abusus Veneris, Lucubrationes diurnæ, vermes, inedia.

§. I3.

Ex his præsuppositis causis disponentibus justo major consumitur sanguis vel citius v. gr. per hæmorrhagiam qualemcunque enormem, vel tardius sive sensim sensimque per interceptionem Chyli à vermibus, vel per obstructionem Glandularum Mesenterii, vel per resolutoriam consumptionem ejus in variis Excretionum speciebus, quæ causæ utique proximiores vocantur, è quibus deintantquam è prono alveo ipsa proxima promanat, quod nempe sanguis ipse quantitate pro nutriendo & conservando Corpore debita deficiat.

§. 14.

Ex modo dictis, dum Anæmia formaliter in defectu sanguinis consistit, quam modo strictura in omnibus totius Corporis partibus apparens consequitur, distinctio utique facienda est inter subjectum Anæmiæ primarium & secundarium. Primarium ipse constituit sanguis, humor ille universalis, de quo maxime apposite dicitur, esse vitæ Thesaurum &, secundum sacras litteras, sanguini inesse vitam. Si ergo ejus consideres substantiam, aut partes constituentes, deprehendes, eas ex sulphure, terra, & aqua constare, atque memor sis, vehiculum esse materiæ nutritionis, non potest non, quin & aliæ corporis partes ab hujus principalis humoris deficiente quantitate afficiantur. Secundarium ergo Anæmiæ Subjectum sunt reliquæ partes fluidæ & solidæ, exhausto enim fonte spirituositatis deficit & Tonus partium solidarum pro retinendorum retentione & excernendorum excretionem, fibræ & partes musculosæ collabuntur, adeo, ut sæpius more Phthysicorum faciem Hippocraticam referant,

§. 15.

Supereft, pauca adhuc de signis differere; Inter hæc maxime considerantur Diagnostica & Prognostica. Diagnostica quod concernit; A priori Anæmiam prodit qualiscunque prægressa hæmorrhagia enormis sive naturalis sive artificialis sive violenta, sensim & repetitis vicibus, sive subitaneæ & cum impetu facta teste Stahl. Colleg. pract. Sect. 1. Membr. V. §. 1. pag. mihi 561. in verbis: *Wo ein Mensch in kurzer Zeit viel Geblüth aus dem Leibe läßt, oder wo dessen Hæmorrhagiæ lange anhalten, oder indem sie starck erscheinen, kurze Periodos machen, nicht lange inne halten, sondern allzubald wieder kommen, da kan es nicht anders seyn, des Geblüths im Leibe muß weniger werden: und dieser Mangel hat so dann Ersetzung oder Cur nöthig.* Quam hæmorrhagiam mox excipit pallor faciei, aliarumque partium, quæ florido alias colore præditæ erant, hunc insequitur caloris naturalis imminutio, ita ut tactu judice externa satis frigida deprehendantur, quam non potest non habitus Corporis constrictio insequi, unde homines admodum macilenti apparent; cui accedit, summa debilitas sive virium
B
maxima

maxima suppressio, ita ut artus vix movere queant. Ab his in visceribus occurrunt notabiles subsidentia & constrictiones, unde visceribus læsis secretiones & excretiones maxime læduntur, id quod eo facilius contingit, si adstringentia fortiora copiosa, ut & opiata juxta communem Methodum ægrotis in hæmorrhagiis exhibeantur. Porro dignoscitur vel ex prægressa vel adhuc continuante inedia diuturna, non minus ex defectu appetitus à morbo, ex penuria alimentorum, ex pariori enim Ciborum assumptione parca quoque sanguinis Copia præparatur & generatur, quam plerumque quoque somnolentia, tremores, Lypothymia comitantur, quibus accedunt Convulsiones, singultus, teste iterum Hipp. L.V. §. XXXIX. Convulsio nascitur vel a plenitudine vel ab inanitione, eodem etiam modo singultus.

§. 16.

Prognosin quod attinet, notandum, quod, re probe pensitata, non liceat a sententia Cel. Frid. Hoffmanni desistere, qui in Commentario dicto quoad prognosin sequentia profert, quamcunque enormem hæmorrhagiam insequi tumores œdematosos, Cachexiam, hydropem, tabem, hæcticam. cum ait. “Dein quotidiana & indubia confirmat experientia atque observatio, graves & periculi plenas ægri tudines eos subinde sequi, qui modo ex morbo, febris acuta continua vel intermittente à gravi hæmorrhagia in puerperio, abortu, aut vulneratione gravi emerfere, cujus generis sunt phthisis, lenta febris, tumores hydrops, affectus spastici, Colici hypochondriaci, hysterici, cum tamen certissime in talibus Corporibus plus deficiat, quam excedat sanguis, cum nempe per nimias profusiones & febres consumtus sit.” Atque hic cum omni veritate dici potest vetus illud proverbium, “Principiis obsta, sero Medicina paratur”, virium enim imbecillitas, quo per majus tempus sibi relinquitur, eo gravior curatu redditur & vicissim; Observatur quoque, sanguinem facilius restitui post hæmorrhagias nimias sponte cessantes, quam adstringentibus tractatas, difficilius verò restituitur sanguis deficiens, si viscera, coctioni alimentorum, eorumque præparationi inservientia, simul læsa sint.

§. 17.

Denique ex Anæmia sibi relicta ut plurimum stases, cachexiam, Apepsiam, hydropem aliosque morbos non contemnendos profluere, & periculosas stagnationes, & partium resolutiones oriri, satis elucebit ponderanti secum, ab omni Anæmia ventriculum primas vias & reliqua viscera, coctioni, distributioni & depurationi inservientia, non minus totum systema nervosum valde debilitari; Convulsiones vero & singultus Anæmiæ supervenientes teste Hippocr. L. V. §. 3. mala sunt. “Quæ, ait, ex nimia sanguinis profusione incedit convulsio vel singultus, malum”. Et polypi tandem nascuntur test. Hoffm. Medic. Rat. Systemat. Tom. IV. Part. IV. Cap. X. §. 16. “Verum enim vero, inquit, non minus nimia sanguinis abundantia, quam ingens ejus inopia ad obstructions & concretiones polyposas viam pandit facillimam. Hinc mihi à magnis crebriusque repetitis hæmorrhagiis sæpissime morbos ex polypo ortos advertere licuit. Dum enim fibræ ob nimiam distensionem laxiores, porique redditæ sunt ampliores, omnis generis crassos viscidosque humores transmittunt, qui polypis progignendis apprime existunt idonei.

§. 18.

Magnis nunc passibus ad finem hujus dissertationis propero, atque ad Curationem aliquam instituendam me accingo, quæ pro varietate Causarum varia est; respectu vero urgentium symptomatum in Cura palliativa duabus potissimum indicationibus absolvitur; Quarum prima est, ut in ipso paroxysmo Lypothymiaæ motus Cordis per convenientia & efficacia remedia citissime restituatur. Altera, ut extra paroxysmum causas tollendis invenire remedia accommodata, atque recursum impedire studeamus. Primæ indicationi satisfit, in convenienti situ ægrum servando, nempe nec nimis demisso, nec nimis elato, dein ad influxum spirituum restitutum invitandum externis remediis, penetrante virtute præditis, partes sensibiles irritando, quo fine prodest, si aqua frigida facies inspergatur, Labia & culinari fricentur, naribus potens acetum cum balsamo vitæ seu aqua apoplectica applicetur, vel ipsis & A cum oleis Cephalicis Ruthæ, Menth. Lavendul. imprægnatum, adhibeatur. Nec quoque de nihilo erit, oculorum palpebras cum
B 2 aliquot

aliquot aquæ *—*uofæ seu balsami vitæ guttulis allinere, totamque pectoris Regionem & reliquas partes extremas pannis calidis, aqua quadam roborante imbutis, fortiter fricare.

§. 19.

Si demum hisce adhibitis ad se redire incipiunt ægri, interna quoque remedia refocillandis viribus dicata exhibere, convenit. Hoc nomine præclari usus est vinum optimæ notæ maximeque vetus Rhenanum, quod omnium fere virtutem superat longissime. Neque egregio effectu destituuntur aquæ spirituosæ & aromaticæ, ad quas præcipue aquæ Cinnam. Lilior. conuall. rosar. meliss. Cortic. citri, *Orant.* cum & sine vino paratæ debent referri, porro in Cura Anæmiæ ejusque *αἰμὴ*, cum nempe sanguis fere penitus exhaustus sit, juxta effatum Hippocratis L. II. §. 11. facilius est refici potu, quam Cibo". Cibi tenuissimi atque ad sanguinem floridum ingenerandum & restituendum præter usum continuum modo recensitorum Analepticorum alimenta nutrientia *evchyla* tamen, quo nomine summe merentur commendari juscula carniū gelatinosa, ex pedibus vitulinis, bovinis, Gallinis, Gallis Gallinaceis, C. C. & Ebore, Cancris fluviatilibus sine & cum taleolis citri, pauxillo Macis, & aliqua vini portione in olla cooperta parata, Hordeum, Oryza, pineæ, amygdalæ, Emulsiones ex amygdalis & pineis cum saccharo paratæ, quo etiam referri potest potus Succoladæ temperatus.

§. 20.

Successu temporis, cum nempe sanguis augetur, admittantur lacticia, ova forbilia, Carnes tam *vetabilium* v. gr. Gallinarum, perdicum, Columbarum, quam quadrupedum; dein & aromatica in substantia interne magis profunt (omnis abusus tamen excluditur) qualia sunt Cinnam. caryophyll. Zingiber, Nux moschata Crocus, non minus supra laudatæ aq. destillatæ, Confect. alkermes, Sacch perlat, moschus, ambra, macis, uti & acidalenissima v. gr. *—*9 *Orti* dulci, *Orli* dulci in refracta dosi, aquæ minerales, *Orlicis* *Orlibus* particulis imprægnatæ, Serum Lactis cum & sine acido, mala citrea, & ex his expressi succi & parati Syrupi. Panis sit triticeus, bene fermentatus & coctus. Potus denique concedatur magis *—*uofus. Si cui placeat, ob nauseam jusculorum, Infusum
Theæ

Theæ forme, parari potest ex Hb. veronic: meliss: betonic, Cinnam: sem: fœnic, Cubebis, anis: stellato, Hb. & floribus salviæ, rosar. Tunic: vel essent: balsamic: temper: Hoffm. cum alexipharmaca Stahlî remixta.

§. 21.

Cumque ab Anæmia æque ac à Plethora variæ stagnationes & ex his spasmi convulsionesque oriantur, his præsentibus occurrendum ☉sis, nervinis, resolventibus v. gr. ꝯe antispasm. ☉so, ꝯro ☉lato, ☉tro depur. ꝯe factit. cui pro re solvendo sanguine stagnante subungi potest infusum ex variis resolventibus modo dictis vel etiam H:bis capillaribus, quibus tanquam potens sanguinem concretum resolvens addi possunt flor. Arnicæ. Pro æquali distributione humorum & transpiratione promovenda Mixtura tonica Stahl. ex —u C. C. & TRa ꝯii ꝯris: vel alexipharm. Stahl. temp. pro mitigando spasmō Liquor Miner. anodyn, Hoffm. vel M. Pill. de Cynoglossō.

§. 22.

Si Anæmia, a diuturna, eademque per alvum evacuatione ortum sumserit, præter moderata Theriacalia ac anodyna, analeptica quoque v. gr. Liq. min. anodyn. Hoffm. Lac calidum vel Decoctum Hordei c. amygdalis, vitello ovi & Croco paratum, Pulv. stomachic. Birckm. Ess. & ꝯes carminat ex Cortic. ☉rantior. Sem. anis. fœnic. Hb. Menth. Cort. Cascarill. Zingib. Nuc. moschat. —u ☉tri dulc. ☉li dulc. vina generosa modice usurpata, annexa pariter supra laudata diætâ tenui.

§. 23.

In cura anæmiæ a vermibus unice eo dispiciendum est, ut vermes, in tenuibus intestinis hærentes, Chylumque intercipientes, expellantur. Laudantur quidem varia acida, amara, salina, specifica ex Gummatibus & radicibus bulborum, inter quæ tamen eminent, tanquam singularia specifica, ꝯrius dulc. vel aqua ꝯriallis, ꝯis contra vermes officin. stratagema illud medicum, per superiora amara assumendo, atque sic ad inferiora propellendo, per inferiora vero dulcia injiciendo, quo magis, magisque ad exitum



provocentur. Hisce vero expulsis facile per supra præscriptam diætā denuo sanguis ingeneratur & tonus restituitur. Sed hæc sufficiant de Anæmia à vermibus, transeo ad aliam Anæmiæ speciem ex Veneris abusu ortam.

§. 24.

Abusus Veneris, uti fluidum nerveum ab initio dissipat, sic sub continuato abusu tandem ipsas sanguinis particulas resolvit, quæ, si restitui debeant, ante omnia Canon ille, "abstine & efficies, quod Medicina nequit", sinjungi debet; Cum vel fortissima, penetrantiora, & uosa confortantia, uti & Cibi maxime evchyli Tonus & sanguinem restituere vix queant, nisi tales ab abusu abstinant, ut potius illa calida & Cibi laudabilissimi magis ad Venerem excitent & stimulos magis augeant; facile autem pro extinguendis stimulis subvenire possumus sic dictis antivenereis, quæ sunt acida ☉sa, varia vegetabilia v. gr. Nymphæa, acetosa, papaver, Cucumis, Lactuca & in specie Rutha, præparata acida, succi acetosæ, Citri, Cucumeris, Limonum, plantag. portulac: Sub hac Cura felicius sanguis, & Tonus, restituitur.

§. 25.

Sequitur nunc ultima Anæmiæ species, obstructa nempe, præcipue ab obstructione Glandularum Mesenterii, sive ab obviscatione vasorum lacteorum, chylum & lympham ex intestinis per Mesenterium ad Cisternam seu Receptaculum Chyli deducentium, sive ab obstructione ductus Thoracici, qui Chylum ex his & Lympham e vasis Lymphaticis per Thoracem ad venam subclaviam & ipsum sanguinem transfert, vel ab ipsa induratione & infarctu vel scirrho pancreatis orta; quibus obstructionibus subveniendis, (cum potissimum a Cibis crassis viscidis, magna Copia ingestis, vel etiam copiosorum adstringentium usu contra varias Diarrhœarum & hæmorrhagiarum species oriatur,) commode opponuntur potus tenues, temperati Cibi parciores tenuissimi; E pharmaceutico fonte, laxantia digestiva è rad. Rhab. Salibus junctis incidentibus solventibus, abstergentibus, deobstruentibus, qualia sunt ☉ anglicanum, sedlicense, ☉ia neutra. Porro Radices ari, Cichorei, taraxac. pimpinell. & §. aperientes. Hb. fumar. heder.



heder. ▽. hyssop. nasturtii, saponariæ, scabios. scord. Cent. min. Genistæ, Gummi ammoniacum, sagapenum, Millepedes, serum Lactis, Acidulæ, Balnea, è quibus variæ formulæ componi possunt; facta vero resolutione pro Tono & sanguine restituendo vel mixtura Tonica Stahl. vel Ra. St. Ludov. uti possunt, de reliquo supra dicta via incedendum est.

§. 26.

In omni Anæmia à quacunque causa orta animi pathemata semper, nimium gaudium æque ac tristitia, evitentur, & quasi incuria tranquillitas adsit, restitutis paulisper viribus prodest etiam motus Corporis moderatus, aër fugiatur humidus, uti & humidus & calidus, ad novas exæstuationes & resolutiones disponens.

§. 27.

Restituto sanguine sponte apparent excretiones necessariæ, quod si tamen emanant, lenissima stimulantia, cujusmodi sunt; Pill. Becch. pill. polychrest. secundum Dispensat. Wurttemb. sufficient, quæ versus tempus specialissimum non nisi refracta dosi exhibenda sunt.

§. 28.

Quoad Cautelas; tempore Anæmiæ caveant sibi ægroti a vehementibus sonis Campanarum, bombardarum, tympanarum, tubarum, nec iis propius accedant, cum facillime surditas insequi queat.

§. 29.

Calor & splendor Oculis evitetur ab iis, quibus Caput imbecille est & vertiginosum.

Hæc de Anæmia differere volui, multa quidem adhuc dicenda restant, sed hæc pro ingenii modulo sufficiant; Deo Ter

Optimo Terque Maximo pro concessis viribus sit

Laus Honor & Gloria.

T A N T U M!

NOBI-

NOBILISSIMO ac PRÆSTANTISSIMO
PICHLERO

SAL. PLUR. DIC.

PRÆSES.

Obtulisti mihi præsentem, a Te, proprio Marte atque laudabili prorsus industria compositam Dissertationem. Quo magis hæc ipsa de profectibus tuis intra breve tempus hic acquisitis, luculentum exhibet testimonium; Eo magis quoque ex animo Tibi gratulor de primo hoc Academico Specimine publico. Macte porro virtute Tua, ut solida imbutus scientia medica, aliquando Experientissimi Ln. Parentis Tui de Te conceptam spem superare, atque donis Tuis patriæ multo cum fructu inservire queas. Atque ita vale, Amice æstumatissime, meque porro amare, perge. Dab.

Tub. d. VIII. Jun. An. MDCCLVI.

